



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

53. Quid de illorum, qui sine signo crucis sacramenta ministrant?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

QVÆSTIO LIII.

Quid de illorum qui sine signo Crucis sacramenta ministrant?

Quæstionis explicatio.

CÆremoniam signi crucis in administratione sacramentorū semper fuisse adhibitam Catholici omnes norunt, vsque adeo vt Stephanus ^(a) Pōtifex dixerit: *Nunquid non omnia charismata sacerdotis mysterij crucis figura perficiuntur? Nunquid baptismatis vnda nisi cruce sanctificata peccata relaxantur? & vt cetera prætereamus, sine crucis signaculo quis sacerdotij gradus ascendit?* His verbis videtur Pontifex innuere sacramentorum administrationem nullam esse, nisi signum crucis adhibeatur: huius occasione queritur, quid dicendum sit de modo ministrandi illorum qui prætextu necessitatis vrgentis ne signū crucis quidem adhibent in ministracione sacramentorum?

^a De consecr.
dist. 8. c. nun-
quid.

Responsio.

Nequē hic modus ferendus est, quamuis sine signo crucis sacramenta subsistant, & per inaduertētiam aut aliās omīssio illius excusari possit: prior pars patet etiam citatis Stephani Pontificis verbis, quibus vult ad omnem sacramentorum administrationem signum crucis adhiberi, con-

firmat

firmat hoc ipsum usus & consuetudo ecclesie vniuersalis, quæ ubique & semper tale signum adhibet, vt late probat & deducit Jacobus (a) Greslerius, denique tam cito & tam facile fieri potest, vt non videatur moraliter loquendo posse dari articulus necessitatis tam arctus, quin in illo adhiberi facile possit. Quod tamen absque signo crucis sacramenta subsistant, licet (b) Thesaurus Sacerdotalis cōtrarium existimet, patet ex communi Theologorum sententia: siquidem nullus eorum hucusque, quod scire potuerim, hoc asseruit, denique quod illius omisio excusari possit, patet, quia cum signum crucis celeri motu fiat, morale est, vt vix aduertamus, an illud fecerimus an non, sicq; oporteret multos pastores, præsertim senes frequenter anxios esse, an peregissent signum crucis vel non.

Dices: Pontifex dicit sacramentū signo crucis perfici, nullo modo ergo sacramenta sine illis ministrari poterunt.

R. Cum communi Theologorum, Pontificem illis verbis nō respexisse ad substantiam sacramentorum, sed potius ad eorum virtutem & effectum, qui sine merito crucis & passionis Iesu Christi nullus est.

^a De cruce
Christi, lib. 3.
c. 7. 8. & 9.

^b part. 1. f. 134.